

antiqui perfidia in humani generis iniquitatis venena trahendens ipsius ducis conatibus portu salutis perperam interdicto a semitis tranquillitatis et fidei repellere nequam non desinit incessanter, non permittens illos quiescere, qui solent esse voluntatum unanimes solo momento firma stabilitate conformes. Cum igitur insurgente vario guerrarum discrimine inter partes inferius nominatas, quod jam processu temporis malignorum impetibus in tantum invaluerat inter ipsas quod exinde cedes, vulnera, raptus, incendia, et alia multiparia nephanda crimina sunt secuta, plerisque ab origine propria factis exulibus, aliis carcerum et vinculorum angustiis interclusis, multis viduatis uxoribus et proventuum suorum solatio destitutis. Quot nobiles et potentes gallearum impetibus submersis navibus perierunt, infinitis virginibus claustro virginitatis corruptis. Quibus villis, castris et locis flammarum incendiis jam exustis, variis hominibus membratim decisis, et aliis aborrendis criminibus, que narrare non licet in multitudine glomerosa comissis. Adeo quod pro effusione sanguinis pugnatorum equora facta sunt multis ipsorum undis erutantibus, pro dolor, rubicunda. Turbatur siquidem ex eis christianorum sincera devotio, corruptitur monarchia, et detestatur plurimum tota machina mundialis. Letantur quinimo perfidi nequam ortodoxorum emuli viribus reasumptis erigentes nihilominus cornua superbe cetere barbare naciones. Quod attendens et considerans prefatus illustris et magnificus princeps et dominus dominus Amedeus comes Sabaudie etc. tanquam verus pacis promotor et sincere christianitatis atleta in archivo sue considerationis solita meditatione revolvens bona singula, que fructu pacis eminent proventura, quam bonum sit, quamque jocundum habitare fratres in unum, quamque humanis laudibus attollendum. Desiderans idem ipse princeps christianissimus tanquam zelator federis, et sollicitus irrenarcha furores partium mulcere, iras compescere et rancores expellere a cordibus earumdem, carceres aperire et carcerorum dissolutis vinculis querere liberationem petitam. Ita quod omni rancoris expulsa caligine,